

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

**Caput XVII**

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

dit, aqua concreatur intus: compleetur eadem illa ubi perfecta fuerit. Hujus incrementi finis, initium nuclei est. Ex ejus namque condensatione concrevit. Quantitas trinos explet mensarios Cyathos. Ejus sapor suavissimus est. Vbi ad justam pervenerit magnitudinem arbor, quosdam è ramis mense Augusto ad medium amputant, quod reliquum est summitatem ferro paullulum scindunt. Singulis appensus calix, quatuor scyphorum completur in die. Fructum gerit continuo aliud aliis subeuntem: Tricenos autem quadragenos vivit annos.

### CAPUT XVII.

#### DE DORONICO, DRACOME, Elaeomeli, Datura, Echo, Eryngio, & Euphorbio.

**D**oronum venenum est, quod interficit canes & quidem subito. Dederat suo Mathiolus; blandientem toto, quo supervixit tempore, expertus; septima hora tanquam comitiali iecus expiravit. Genus arboris est in Occidental India prope Carthagena, cuius fructus Draconis perfectissimi forma appetet, cer-  
vice longa, ore aperto, natibus elevatis, cauda prolixa, pedibus insistens, ita ut qui viderit, ex arbore factum existimat. Monare. In Palmyris Syriae, manat ex quodam caudice oleum sapore dulci, Elaeomeli dicitur. *Mathiol. in l. 4. c. 73.* Bilem cruditatesque sextario cum una aqua hemina dato, detrahit. Qui sumpsere, torpescunt; at nullo incommodo si sibi exci-  
tentur, ne dormiant. *Diosc. l. 1. c. 32.* Datura in India Orientali, legitima nux Metel Arabum esse censem-  
tur. Injicitur, inquit *Garcias Aromat. & simpl. Indianorum histor. l. 2. c. 24.* à furibus ejus flos aut semen in cibos eorum, quos deprædati volunt. Mente enim quodammodo alienantur, quotquot id medicamentum sumunt, & in rictum solvuntur magnâ cum libertate si-  
nentes, quod lubitum est, deprædati. Durat hæc men-  
tis

tis alienatio viginti quatuor horarum spacio. Chistophorus Acoſta addit nonnullas meretices adeo hoc medicamentum temperare nosse, ut ad certas, easque quot velint horas, mentem adimant. *Echion* inventa est à quodam Alcibio herba. Dormiens in area, iactus est à viperā. *Mathiol.* in lib. 4. c. 25. Excitatus succum herbae dentibus expellit, hauſisque in corpus, reliquum corpori imposuit & convaluit. Viperinis genuit illud natura capillis, ut usum ostenderet. *Eryngio* una capella in os sumpcio, totum gregem fistit, nec loco moveri priusquam exemeris, potest. *Plutarch.* in lib. quod maxime cum princip. disp. si philos. Tanta odoris in eo celeritas, ut ignes in motem in proxima quæque diffundatur, inque illa vires exerceat suas. *Euphorbium*, si Afris credimus, spinosa est planta. Ex ejus radice fructus exit cucumerum specie oblongus adeo ut pedes binos interdum expletat. Vbi matura erit, ferro punctum aperitur. Exit lactis liquor lensus; quem in utrem lapsum condunt. *Scalig.* Exerc. 181. f. 2. Alvum dejicit, sed cum animi defectu frigidoque sudore. Duorum obusorum pondere porcum, aquam intercument extrahit; interim, drachmarum pondere trium si hausteris. Intra enim trium dierum spacium, intestina eredit & ventriculum. *Mathiol.* in lib. 3. cap. 80.

## CAPUT XVIII.

DE ELATERIO, ELLEBORO,  
Eupatoria, Emito & Foeniculo.

**O**MNIMUM medicamentorum diuturnissimum est Elaterium, ducentorum annorum quidam apud se servavit. Humiditas in causa esse dicitur. Quamvis enim præcisum in cinere ponatur humidum, tamen ad quinquagesimum annum lucernis admotum, lumen extinguit. *Theophil.* 9. c. 14. Ellebori radicum diluto, hyeme media, accensis maxime frigotibus, plures quartana febri liberati sunt. Nunquam, inquit *Mathiol.*